

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ginem notavi, attentè considereris. Docet autem in Academia Julia, Vir gravis, prudens & doctus, quem meo periculo commendare non vererem, Doctor Daniel Hofmannus. Is superioribus diebus ad me scribens, rationem suam in Ecclesia vel Academia aliqua haberi petivit, in qua totum se dedere professioni Theologicae possit. Nam in Julia Schola Erhica hactenus simui tradidit, nec in collegium Theologicum, propter quorundam Heshusio invidentium (duas enim sorores in matrimonio habent) amulationes receptus est. Ejus viri prudentiam & gravitatem, cum eruditione eximia conjunctam, praesidio & ornamento Academiae vestrae futuram sperarem. Nisi igitur ex vicinior loco magis idoneos habere poteritis, cum hoc D. Daniele, ut se vobis in hic sistat, serò agemus. Ille, cui ante mensem ad te literas dedi, totum serò quinquennium apud nos sine conditione vixit. Eum non alia ratione, quam ad Electorem 4. Octobris me scripsisse vides, tibi commendo. Si non probabuntur vobis ipsius mores, & judicium, & docendi industria, viatico instructum ad nos remittetis, vel hic expectare responsum jubebitis. Haec bono & simplici studio ad te hoc tempore scribenda duxi. Quae ut ^{in manus} accipias, & tibi soli scripta esse sinas, ideoque literas lectas statim discerpas amanter oro. Mea tibi studia & officia perpetuo cum omni observantia constabunt. Bene & feliciter vale, 12. Januarii, Anno 1578.

David Ghytræus.

Inscriptio.

*Reverendo & clarissimo viro, D. Petro Patienti, Superintendenti
ecclesiarum Palatinatum Electoralium, Domino & amico
carissimo.*

27. Februarii Anno 79. Respondi.

CCXXXVII.

Salutem in Domino.

ET si, Reverendissime Vir, Domine & frater in Christo charissime, miramur, quod inclytus Senatus Argentinenſis Reverendæ tuæ Dignitati, atque cæteris Collegis tuis Librum Concordiæ nondum indicandum & subscribendum proposuit, tamen gaudemus, quod formulam illam legeris, approbaveris, & subscriptione Vestra confirmare parati hactenus fueris. Etenim ex literis Reverendæ tuæ D. intelleximus, per vos hactenus minime stetit, quo minus sanctum & salutare hoc negocium promoveretur. Quemadmodum etiam de pio Vestro studio nunquam
Cccc
dubi-

dubitavimus. Re autem deliberata, cum jam bis Illustrissimus noster Princeps ad Senatum Vestrum scripserit, nec tamen Senatus aliquid certi hactenus responderit, non videtur consultum, ut Illustrissimus noster Princeps subscriptionem à Ministerio Argentinenſi petat. Veremur enim, ne id à Senatu Vestro finistrè, & aliter quam oporteat, accipiatur. Placuit autem Illustrissimo Principi nostro, ut nos ad Ministerium Argentinenſe eas, quas mittimus, literas daremus. Eas R. tuæ D. & reliquis Dominis fratribus non improbatas iri confidimus. Etsi enim videmini à nobis quodammodo, propter moram, accusari, tamen ideo ad hunc modum scripsimus, ut eas literas (quæ vobis omnibus simul inscriptæ sunt) Senatui proponere, & earum occasione petere possitis, ut Vobis potestatem faciat librum subscribendi. Quare cum vestra Ecclesia & Schola magnæ sit authoritatis apud alias sincere Ecclesias, rogamus, ut ad absolvendum hoc pium negotium Concordiæ Senatum Vestrum commode urgeatis, ut ipsius authoritate vobis liceat formulæ Concordiæ subscribere. Quod si hoc impetrari non poterit, hoc saltem obtinere studeatis, ut permittatur Vobis, in Testimonium Veritatis ecclesiæ, subscribere: id speramus apud Amplissimum Senatum vestrum obtineri posse. In Senatu Ravensburgensi paucissimi sunt, qui Augustanæ Confessionem amplectuntur, reliqui omnes Pontificiæ Religioni addicti, & tamen, lecto etiam libro Concordiæ (in cuius præfatione Pontificii satis acriter perstringuntur) nihilominus Senatusconsultum est factum, quo Senatus totus liberum fecit Ministris Ecclesiæ Evangelicis, ut librum subscriberent. Hoc itaque à Senatu vestro haud denegatum iri speramus; præsertim cum in hoc negotio omnes unanimes vos esse constet. Hæc privatim R. tuæ D. significare volumus, ut R. tua D. intelligeret, quo animo & quo consilio adjuctas literas ad totum Argentinenſe Ministerium scripserimus. DOMINUS Reverendam tuam D. diu ad nominis sui gloriam & Ecclesiæ Christi ædificationem conservet. Data: Studgardiae, 29. Janua. Anno salutis, 1578.

Reverenda tua D.

amantissimi

Balthasar Bidenbach.
Lucas Osiander, D.
Wilhelm. Holder.

Clarissimo Viro D. D. Ludovico Grepio, officiosam ex nobis salutem dici rogamus.

CCXXXIX.